DE TETANO DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM ... MENSE MARTII 1845 PIBLICAE...

Bernardo Travelli

DE

TETANO

Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM UT DOCTORIS MEDICINAE LAUREA SUMMIQUE IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQUANTUR IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. FERDINANDO NOB. DE CATTANEI DE MOMO

CHEMIAE GENERALIS AC PHARMACEUTICAE PROF. ORD.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Martii 1845

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

TRAVELLI BERNARDUS

Ex Oleggio in Prov. Novariensi.

TICINI REGII

Ex Typographia Fusi et Socii.

PATRI OPTIMO

FILIUS GRATISSIMUS.

PROOEMIUM

Jam pridem mihi animo consilium erat libenter aliqua tradere ad promeritos in medicina honores, uti leges academicae jubent, capessendos; et quamvis argumenta sint innumera, simulque omnibus ingenii gradibus accomodata; aspera tamen recordatio, quae Tetanicorum ad intuitum, quum prae cruciatibus, quibus aegroti fremuntur, tum prae diversis immensisque ad hujusmodi morbi curationem methodis hucusque adhibitis, mihi semper inhaeret, me istius morbi naturae prae viribus studere coegit. Hujuscemodi

ergo studii de pathologica Tetani natura momentum peculiari modo meos omnes intendit nervos, et pathologicis, logicisque legibus subnixus (mea licet hocce in themate consilia sentio, quam sint exigua, haud tamen impervia, nec falsis rationibus suffulta) aliquommodo, si venia donetur, declarandum confido. Sin autem

Omnia deficient nostris suffragia dictis;
Me tempus dubia finget in Arte Virum.

DE TETANO.

Tetanus a graeco vocabulo *τετανος*, quod latine idem sonat ac extendo, ab Arabis *rigor*, a Latinis *nervorum distensio* vocatur. Istiusmodi morbus ab unius, vel plurium, omniumve interdum musculorum voluntatis imperio subjectorum rigiditate, convulsaque tensione dignoscitur. A Prof. Corneliani definitur: » violenta, permanens, dolorosissima, et invita musculorum voluntariorum contractio cum insigni, et peculiari partis adfectae rigiditate ». Hinc videtur Tetani nomen a superficiali externae hujus morbi figurae consideratione desumptum, ut gravissimae omnium musculorum, illorumque maxime voluntatis imperio subjectorum permanentis contractionis species exprimatur.

Doctor Bergamaschi immerito refert, istiusmodi morbum Hippocratis temporibus minime fuisse cognitum. Nam Clarissimus Prof.

Speranza in suo de Tetano Commentario contra exprobationes Medicinae parenti illatas diversos in sua notione de Tetano textus exhibet, quibus Hippocratem fulcre illum calluisse patet. Graeci, Arabes, et Latini de hoc morbo loquuntur, sed nunquam satis, imo fere libantes; et descriptiones, quas nobis ipsi reliquere, veluti per traditionem nulli unquam, ut ita dicam, subjacentes modificationi, ab uno ad alterum scriptorem transierunt. Rarus temporibus elapsis in Italia Tetanus, genericisque speciatim de causis exortus Medicis, ut illi curam impederent, haud permisit. Ast radicitus eversis nemoribus immensis, irriguisque undequaque agris redactis, Tetanus apud nos frequentior misere incubuit, sicque studia instituere, atque opitulante Anatomia pathologica sedem, naturamque ipsius explanare fuit concessum.

Divisio.

Prouti universum corpus Tetanus adgreditur, vel partem tantum aliquam, diversam nanciscitur denominationem; hinc in Universalem, et Partialem partimur.

Tetanus Universalis, Olotonicus, vel etiam ut nonnulli dicunt, Catholicus, vocatur quo-

tiescumque omnes musculi, eo magis voluntarii, rigiditate involuntaria, permanente adgrediuntur, ita ut totum corpus immobile, et fere marmoreum jaceat.

Tetanus porro qui ad unam tantum restringitur partem, pro varia ejusdem sede partitur in Opisthotonum, Emprosthonum, et Pleurosthotonum.

Opisthotonus determinatur prevalente musculorum trunci extensorum contractione, unde corpus postrorsum contrahitur, et flectitur: inter tot Tetani species, haec frequentius in praxi occurrit.

Emprosthotonus adest, quoties musculi, quibus corpus antrorsum flectitur, vehementer, et spastice contrahuntur.

Pleurosthotonus adpellatur, quando musculi unius tantum lateris sinistri vel dexteri rigescunt, ita ut corpus modo ad unum, modo ad alterum latus inclinatur.

Trismus, vel etiam Tetanus maxillae inferioris supervenit, quoties musculi elevatores maxillae inferioris spastice rigescant, et maxilla inferior fortiter in superiorem attollatur.

Et aliae adnumerari possunt Tetani partialis species, uti Crampus, Strabismus tetanicus, Anchyle tetanica, Priapismus teta-

nicus etc., quae distinctiones multo ab hinc tempore fere omnes ab auctoribus admissae, in scholastica tantum hujus morbi pertractatione recenseri merentur. Sed altius perpensae ad veram utilitatem non multum interesse videntur, eo quod nunquam solae existant; quodque nonnullae hujusce tetani species ad spasmos potius partiales, quam veracem ad Tetanum sint referendae. Quare illum generice tantum, ne, ut ait Horatius, miseram crabem refovere cogar, describam.

Symptomata.

Tetanus cunctos inter morbos teterrimus plerisque in casibus de repente insurgit; aliquando vero nonnulla illum phaenomena praenunciant, quae interdum per se sufficiunt ad medico suadendum, ut statim ad congruam deveniat therapiam. Inter prodromos, capitis gravedo a Borsieri, visus obnubilatio, vertigines, leves accessus spastici, molesta, distinctaque ad cordis scrobiculum sensatio, recensentur. A Stoll adsiduus cervicis dolor ad terga descendens, pectoris oppressio usque ad cordis scrobiculum pertigens, ab aliis trismus adsignatur. Praecursores hosce plus minusve validos illa subsequuntur invasionis

symptomata, quodam cervicem inter et collum rigiditatis sensu incipientia, quo augescente, difficiliores, molestioresque fiunt capitis motus: istis accedit difficultas deglutiendi. Rapido jam tunc morbi cursu dolor ad cordis scrobiculum adaugetur; atrox imo factus, ad dorsum quoque, secus spinam extenditur: musculi colli posteriores praecipue sub validae tensionis gradu immorantur. Elevatores dein maxillae inferioris musculi violenter contrahuntur, contra superiorem vehementius istam impellentes; aegris os reserare praepeditis; morbosamque formam sub nomine trismi adferre videmus. Spasmus propagatur et ad musculos faciei, oculi in orbitas retrahuntur, fixi, et immobiles remanent: physiognomia insignes patitur mutationes, ita ut juvenes quandoque adspectum induant senilem. Muscularis contractio ad scapularum quoque, dorsi, et vertebrarum musculos propagatur. Quare prout muscularis contractio prevalet, corpus anterius, vel posterius, aut hinc inde inflectitur, variis, quas in divisione attulimus, Tetani speciebus locum dantes. Abdomen ceu corion aegri praeseferunt extensum. Extremitatuum musculi, qui tremendo hucusque non laboraverint morbo, superiores praecipue extensi,

rigidioresque fiunt; digiti tantummodo (referente Speranza) suam exhibent flexionem. Hae contractiones dirissimis concitatae doloribus acerrimos ad spasmos, horrentesque ululatus impellunt aegrotos. Hujusmodi contractiones haud raro, brevi tamen intervallo remittunt. Enim vero, convulsa quae praecessit, rigiditas cito citius, iterumque validius insurgit, diutiusque urget. Mobilitas hisce miseris evadit exquisitissima: procedente morbo, magis ac magis excrucians rigiditas augetur, eoque progreditur, ut vel levissimus rumor, minimus impulsus, minimaeque voces accessus renovare, convulsionesque excitare sufficiant. Mirandum est, quomodo inter symptomata tam ominosa facultates intellectuales illesae remaneant, et tantummodo in postremis vitae momentis delirium insurgat cum sopore alternans, ita ut infelix tetanicus morti proximus a se videat. At neque hic miserrima catastrophes finem habet. Contractiones ad musculos quoque involuntarios propagantur. Larinx, et esophagus eo contrahuntur, ut aegrotus nequeat amplius deglutire, nec verba proferre. Pectus insuper occluditur, thoracis cavum adstringitur, incommodus, laborisque plenus fit anhelitus, qui postea, augescente morbo, gravis, et suf-

focativus redditur. Excretiones adtenuantur; tubus entericus nullo quovis aperitur remedio purgante. Pulsatio arteriarum in hujusmodi stadio modum haud retinet ullum: modo dura, et contracta, modo lenta, et debilis; quapropter ab illis tetano conceditur febris, ab istis denegatur. Ecce tibi deploranda morbosorum phaenomenorum tetanum constituentium, et concomitantium imago, quibuscum, persistente ipso plus minusve temporis, et contractionibus repetitis, inque universum systema diffusis, totum corpus efficitur uti marmoreum; viscidoque contegitur, frigidoque sudore! Inferior relaxatur demum maxilla, respiratio fit stertorosa, atque utplurimum violentissima adgreditur convulsio, qua infelix tetanicus sub apoplexiae, aut asfixiae specie supremum cogitur diem obire.

Sedes morbi.

Hic morbus certissimum, patensque medullae spinalis adfectionis exemplum praebet. Universae hujusce subdivisionis systematis nervosi functiones validissimis afficiuntur modis, integris vero cerebri functionibus. Dispnoea, disphagia, trismus, opisthotonus,

emprosthotonus summa ad causas phisicas promptitudo sunt omnia systematis spinalis affectionis signa: dum cujuscumque sensuum, et intellectus affectionis libertas, absolutaque delirii, vel comae deficientia systematis cerebralis conditionem normalem esse ostendunt; et uti subdit Dupuytren: Tetanus est vera conditionis systematis spinalis veri excitatae pictura. Novissimis hisce temporibus a Magendie, et Giacomini tetanus fuit consulto excitatus per Upas Javae, atque strichninam, quae veneficas in medullam spinalem validissimas exerunt vires. Larry, atque Tosetti trunci, artuumque, quoties spinalis midulla excitaretur, convulsiones promovere potuerunt. Cadavericis porro istorum sectionibus medullam spinalem saepe saepius affectam esse observarunt; atque, uti ait Borsieri. » Anatome detexit sedem tetani, quando primarius, atque idiopaticus est, cerebrum esse, et spinalem medullam, sed frequentius, et certius hanc postremam ». Quare in praesentiarum a fere omnibus, hujusmodi phaenomenorum acervus tetanum concomitantium nihil aliunde, quam a morbosa midullae spinalis conditione pendere existimatur.

Causae.

Tetanus calidioribus locis, subitaeque aeris mutationi subjectis frequens dominatur. Nulli aetati, sexui, temperamento hic morbus parcit. Quoad sexum, homines peculiari modo insectatur; idque mihi, quod validioribus isti potentiis subjiciantur, videtur. Quamplurimae enumerari possunt caussae occasionales tetani, uti primarum viarum sordes, vermium in tubo gastro-enterico collectio, dentitio, faba S. Ignatii, nux vomica, strichnina, praeparata plumbi. At mutationes atmosphaericae, incauta post calorem, aestumque refrigeratio, humentes habitationes, ibique requiescere, ceu noxiae generales caussae ad hunc morbum efficiendum aptiores existimantur. Inter omnia vero principem tenent locum vulnera, et in primis lacera contusa, potissimum armis detonantibus inflicta. Ictus, lapsus in dorsum, aciculae infixae, corporum extraneorum in partibus adfectis praesentia. Mirandum, quod simplex nervi punctura tam terrificam explicare queat phoenomenorum apparitionem; ast perpensa mirabili filamentorum nervosorum rete, communia stipantium integumenta, qui majores in ramos,

truncosque se se colligentes in spinalem medullam ipsorum veluti centrum desinunt; ex quo animadversis una cum Flouerens et Rollando nervis uti imaginem conductorum, liquido intelligitur, quanam ratione fiat, ut excitata in quacumque vel levissima nervorum propagine irritatio, haec ad organum centrale progressive communicetur. Cur autem hic morbus spatiis a laesionis momento plus minusve disitis adgrediatur, quantumvis membrum pulcherrime se se exhibeat, vel sanitati fere concedat, nullumque aeger phoenomenon in artubus ostendat, quae tantum possint praenunciare discriminis; ciò (uti loquitur Tommasini) dipende da tempra specifica d' organizzazione atta a promovere, o ritardare l' attitudine di essa a diffondersi, da certa maggiore, o minore alterabilità di organiche condizioni modali, e da certi altri elementi, che sfuggono l' acume di qualsivoglia indagine ».

Diagnosis.

E phoenomenorum tetanum constituentium descriptione clare patet, istum aliis cum affinibus affectionibus tam facile confundi non posse. Catalepsis, et Epilepsia ob nonnulla

symptomata, quae cum Tetano communia habent, primo ast superficiali intuitu cum hocce confundi possent. Ast in Catalepsi corpus flectitur, uti nobis libet, membra facile positionem servant, quam adstantes iis tribuunt, neque ullo modo rigent sicuti in tetano: aegri porro morbo istiusmodi idest catalepsi laborantes omni sensibilitate destituuntur, et absque dolore torqueri solent, dum e contra in tetano sensibilitas plerumque est exaltata, et membra flecti nequeunt, nec insuper visus in catalepsi formam mutat. Minus vero cum epilepsia tetanus confundendus; in illa enim omnis sensuum externorum, internorumque abolitio habetur: porro epilepsia per accessus redit, dein convulsio clonica potius quam rigida permanens contractio; perfecta post paroxysmum musculorum relaxatio; rerum omnium, quae durante paroxysmo acciderunt, oblivio; aura epileptica, etc. hanc ab illo satis superque distinguere valent. Etsi histeriasis proteiformis apparere solita nos pro tetano deterrere posset; summa tamen una cum individui temperamenti mobilitas, globus abdominalis, dolor superiori capitis regioni infixus, subitus e lacrymis ad risum transitio (nulla cognita ratione); desperatio morbi fere inseparabilis socia, accessus pe-

riodici etc. de morbi specie et forma nos facerent certiores. Et nonnullae febres intermittentes larvatae, nec non quaedam artritides tetani adspectum quandoque offerunt; ast si morbi decursum, et symptomata perpendemus, distinctio haud difficilis evadet.

Conditio Pathologica et Necroscopia.

Pathologi quoad veram tetani essentiam determinandam, nunquam inter se convenerunt, et innumerae, oppositaeque de hocce editae fuere opiniones. Ast hic recentiores tantum referam. Sic: Raimann a valida apparatus motoris irritatione tetanum repetit: Pucinotti, a turbato fluidi biotici equilibrio: Rush, et Cooper a laxatione, et deficiente partim tono morbum oriri autumant: Brera, Bergamaschi, Tommasini atque Speranza tetanum considerant, uti veram spinalis medullae inflammationem. Atque ita complures, qui bonos intuiti effectus a sanguinis subtractionibus obtentos, tetanum phlogisticae naturae affirmandum haud dubitarunt: alii e-converso bonos ab Opio effectus admirati tetanum hipostenicae naturae morbum esse affirmarunt. At quomodo hujusmodi diversae, imo discrepantes de tetani essentia conciliari

possunt sententiae? Nonne ipse eamdem semper exhibet naturam? Quoad utilitates, quas sanguinis subtractiones in tetano adducunt; venae sectio nedum *in abstracto*, sua nempe in actione finali deprimente; quin imo *in se ipso*, suo nimirum immediato in effectu, qui est sanguinis imminutio, est perpendenda; quare summae erit utilitatis non in inflammationibus tantum, verum etiam caeteris in morbis, quibus generalis, vel partialis aliquo in organo, ut in congestionibus, sanguinis supereffluentia inest. Quapropter ex utilitate non raro a sanguinis subtractionibus in tetano obtenta minime sane de ipsius essentia constanter inflammatoria concludi potest; cum ipsa idem faciat, etiamsi morbi essentia simplex foret congestio. Alii e contra cum Giacomini unicam stimulantem super systema sanguineum virtutem Opio tribuentes, tetanum hiposthenicum esse morbum contendunt. Verum enim vero quam Opium in nervosum systema narcoticam exercet actionem? Quae per ipsum in colica saturnina, inque tremente potatorum delirio emolumenta non obtinentur? Hosce ne hipostenicos morbos affirmabimus? Ticinensem pathologiae scholam sectantes ideam admittimus tetanum semper naturam hypersthenicam induere; sed

hujusmodi hypersthenium nequidquam semper in eadem pathologica conditione consistere; proindeque et simplicem irritationem dynamicam, seu nervosam, et irritationem capillarem congestivam, nec non veram inflammationem aeque posse illam symptomatum morbosam constituentium formam, tetanum vocatam, producere. Hisce positis, dignoscere possemus, quomodo opium ad fortiores doses propinatum maximam deprimendo sensibilitatem in tetano ad rem conferre potuerit, donec ipsius conditio nil amplius quam simplex irritatio nervosa fuit. Sic etiam bonos per opium una cum sanguinis subtractionibus praesertim localibus effectus obtentos explicamus, cum irritationi capillarium congestio sit sociata; hisce duabus enim auxiliis ad profligandam duplicem conditionem morbosam uti rationaliter possumus. Vera tandem inflammatione exorta, summopere anthiphlogistica praestiterint. Sic praestantia adversae in tetanum actionis remedia explicarentur, dissidentesque inter se medicorum sententiae consociarentur. — Cadaverum porro sectiones hanc nostram comprobarent opinionem. Saepius enim auctores fide admodum digni, uti Carmichael, Raimann, aliique inquisitionibus summis nullam spinalis

medullae, neque filamentorum nervosorum laesionem in hominibus, qui isto morbo decesserant, explorare potuerunt. Aliis e contra, uti Giannini, in spinali medulla reperire fas fuit signa majoris sanguinis affluxus, sed pariter nullum vestigium alicujus exitus praegressae inflammationis. Et quomodo tandem ex adverso Tommasini, et Speranza comprobaverint hujusce inflammationis praesentiam evidenter declaratam signis in spinali medulla repertis, effusionibus nimirum sanguineis, atque serosis ejusdem inter involucra, ipsiusque mollitie vel morbosa duritie. Nec mirum, quomodo hocce in morbo possit vel contingere lethum, etiam cum simplici innititur irritationi, quoties, ob adfectae partis excellentiam, laesiones graves, perturbatio atque tumultus universarum functionum organico-vitalium inde exoriri animadvertantur.

Prognosis.

Tetanus, quacumque caussa exortus, morbum et commiserationem et terrorem injicientem, nec non gravis periculi plenum semper constituit: » morbum, ait De Haen, semper admodum periculosum esse, uno omnes

ore auctores affirmant ». Tetanus universalis magis quam partialis toto cursu periculosus habetur. Gravitas vero, atque periculum, sic D. Bergamaschi, non tam ab ipsa morbi extensione, quam ab ipsarum partium adfectarum momento relate ad earundem munus demetiri videtur. Vocis abolitio, liquidorumque per ora demissorum e naribus emissio, plusquam quodlibet aliud symptoma, de proximo monebant letho in quodam morbi exemplo, tetanicus licet spasmus circum guttur tantummodo se proderet et haec mors suffocatione efficiebatur. Neque hic valet Hippocratis aphorismus: » qui Tetano corripiuntur, intra quatuor dies pereunt; si vero hos effugerint, sani fiant ». Homines post vicenos tricenosve dies vita functos, aliosque intra ea fere tempora sanitati donatos Borda et Bergamaschi meminerunt. Tetani autem pluribus mensibus annisque pertinaces, atque a Phernelio exhibiti, ad affectiones rheumaticas potius vel arthriticas cum Burserio referendi videntur. Febris praesentia, vel absentia secundum De Haen, et Bergamaschi tetani prognosim nullimode immutat. Inferioris resolutio maxillae mali ominis indicium generaliter censetur. Maximo refertus periculo tetanus semper habitus fuit traumaticus,

sive laesione externa, et eo vel maxime, si ignita rota, inductus.

Cura.

Uti omnibus in morbis difficilis sanationis, quique saepe saepius artis conamina eludunt, ita et in Tetano quamplurima nec non opposita pharmaca experta fuere; quapropter dici potest fere nullum dari medicamen, quod Medici non fuerint periclitati. Horum remediorum nonnulla ab idea de istius morbi essentia concepta, alia simplici empyrismo fuerunt dictata. Opii virtus in hunc morbum veteribus jam Medicis nota erat, a recentioribus porro ad sydera usque extollitur. Magendie, et Giacomini in brutis, in quibus arte Tetanus fuerat excitatus, sub usu opii convulsiones spasticas silere observarunt. Opium ejusque praeparata, sola vel aliis medicaminibus juncta, uti cum moscho, castoreo, camphora, carbonate potassae exhibita fuere, unde oritur methodus a Stütz proposita, et quae consistit in alterno solutionis carbonatis lixiviae ad drach. ij, iij in unc. vj. aquae destillatae, et opii ad doses altiores usu, dummodo eodem tempore balnea alkalina cum una vel duabus lixi-

viae causticae unciis instituuntur. Evacuationes sanguinis tum generales tum locales a Brera, Tommasini et Speranza, uti praecipuum contra tetanum auxilium habentur. A diversis praeterea Medicis contra hunc morbum adhibita, et celebrata fuerant pene non innumera medicamina, uti essent: tartarus stibii larga dosi administratus, sulphas magnesiae in infuso foliorum sennae, carbonas ferri dosibus altioribus porrectus, calomel, et sublimatus corrosivus ad tumultuarium ptyalismum excitandum, frictiones mercuriales secus spinam dorsi, murias barytis vel chloruretum barii, assa foetida, valeriana, ammonium, tinctura cantharidum, oleum essentiale therebintinae, hyosciamus, belladonna, nicotiana, balnea calida aut frigida aut alkalina, electricitas, ago-punctura etc. Omnia vero medicamina hucusque recensita utplurimum contra tetanum parvum aut nullum emolumentum afferunt, atque fatendum est, hucusque absolutum specificum contra morbum eundem adhuc desiderari.

In tanta igitur opinionum discrepantia, inter tot medicamenta quomodonam rectam, logicamque tetani curam instituere possimus? Si iis, quae de morbi essentia prolata fuere, attendimus, illa equidem nobis aperient viam.

Ante omnia, etsi contrarium sentiat D. Sneftiwy (1), causae excitantes sunt amovendae; hinc a vulneribus corpora extranea, aculei, fragmenta ossea extraenda, nervus aut tendo partim tantummodo dilaniatus ex integro scindendus; secretiones suppressae revocandae: uti porro admonet Larrey, auxilia localia generosa, uti essent amputationes, ignis, etc. in tetani traumatici primordiis tantum sunt adhibenda: in progressu enim morbi inutilia evadunt, quia adfectio medullae spinalis idiopatica jam orta est. Hocce praemisso, si morbus vix est incohatus, cum scilicet irritatione tantum dynamica sustinetur; tunc narcotica summopere praestabunt, et prae caeteris opii praeparata generosis dosibus exhibita. Lotiones, et clysmata de infuso nicotianae bonos quandoque praestitere effectus. Si vero morbus ab aliquo jam tempore perdurat, quum exaltata sensibilitas majorem semper ad partem affectam sanguinis affluxum advocet, hinc una cum opio sanguinis evacuationes generales, vel locales conveniunt, prouti individui, et pulsuum conditio postulat.

Ast si morbus ad altiorem gradum eve-

(1) Gaz. Med. di Milano anno IV N. 5.

ctus sit, si auxiliis modo dictis minime compescitur, tunc ad methodum antiphlogisticam generosam, ad sanguinis nempe evacuationes repetitas, ad altas tartari stibii, calomelani, chlorureti barii doses, ad frictiones mercuriales, ad vesicantia secus spinam dorsalem, aliaque similia deveniendum est.

Haec pauca ad aliquam de Tetano ideam praebendam, quae data occasione unusquisque consulere potest, sufficere mihi videntur.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

1. Virus gonorrhoicum a syphilitico seu ulceroso diversum.

2. Vomitum quandoque vomitu curari.

3. Phthisim in quocumque stadio nunquam contagiosam.

4. Balsamum copaive virtute specifica in urethritide gonorrhoica nequaquam pollere.

5. Virtutem vaccinae ad tutandum a variolae contagio non nisi temporariam.

6. Scholam Hahnemannianam medicinae dogmatibus contrariam.

DE

MENINGITIDE